



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.LXIX. Sancti Patris Benedicti. M.LXXXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

tam gravi & turbulento tempore regen-  
dam; qui potens est, & ea, quæ tibi dedit  
dona augere, & ea, quæ in te desiderari  
forsan possunt, addere, pro cuius obsequio  
& honore, nullus debes nec animi nec cor-  
poris labores subterfugere, sed ejus voca-  
tione confisus ipsius gratia & auxilio, hu-  
militer obedire. Debes verò, ut charita-  
tis officium postulat, vicem nostram dolo-  
re, qui hac ætate onus multo gravius sus-  
tinemus, ad quod ferendum, tua & tui  
similium opera indigemus. Accepto igitur,  
quod ad te misimus, hujus honoris in-  
signi, omni excusatione omissa, constituimus  
prius Ordinis cui isthic rebus, ad Urbem  
quam brevissimo tempore te conferas; quod  
ut facias in VIRTUTE SANCTÆ O-  
BEDIENTIÆ tibi mandamus &c. Da-  
tum Romæ apud S. Petrum sub annulo Pi-  
scatoris die 8. Mensis Majj 1568.

Antonius Lomellinus.

Romam igitur, vocatus; & desi-  
deratus venit, & Pontificis, qui homi-  
nem secundum cor suum se invenisse  
fatebatur, in se benevolentiam ac  
humanitatem, quo advixit, expertus  
est, & propter singularem opum &  
gloriæ contemptum, ac vitæ imode-  
rationem magnâ apud omnes floruit  
admiratione. Quem Thomas Bozius  
in opere de signis Ecclesiæ inter eos  
Patres jam vitâ functos, numeravit,  
quorum sanctitas ætate nostra multis  
operibus comprobata est. Cardina-  
lis factus nunquam adduci potuit, ut  
supremum sui Ordinis Magistratum  
dimitteret, paratus potius purpuram  
quam S. Bernardi nostri, cui devotissi-  
mus à pueritia fuerat gregem sibi  
commissum relinquere. Nec desijt  
esse, qui ante fuit, ad majorem, quàm  
antea, perfectionem sese esse censens  
obligatum. Proinde in lectione san-  
ctarum Scripturarum & in contem-  
platione rerum Divinarum assiduus,  
plura adversus Religionis Novatores  
scripsit; multa etiam dictavit, quæ us-  
que hodie apud Claramvallem asser-  
vantur. Quos vero in Concilio Tri-  
dentino labores sustinuerit, quæ ejus  
fuerint sententiæ, qui scire desiderat,  
Nicolaum Baccetium libro ultimo Sep-  
timianæ Historiæ legat, qui more suo  
hujus Cardinales Virtutes, ac res san-  
ctissimè gestas, eruditissimè scripsit.

Boneffiensibus Martyribus, hoc ip-  
so anno ad præmia Martyrum assump-

tis, adjungitur, miro sanè fortunæ ex-  
emplo Boneffiensis Confessor, Bonef-  
fientis & ipse professione, sed digni-  
tate Abbas Villariensis, frequentissimi  
viris sanctissimis Cænobij. De hoc ita  
Villariensia monumenta: *Matthias Hor-  
tebreck Vir Zelator & Observator Ordinis,  
in corrigendis culpis, in disciplina & DEI  
servitio. Discretus nihilominus, ratione  
utens, & rationem reddens, consolabatur  
tristes, erigebat pusillanimes, negligentes  
urgebat, duros & rebelles severo vultu in-  
crepabat, obedientem diligebat, prudens &  
gravis cum hilaritate, omnibus sese accom-  
modans, verbo & exemplo docebat. Cho-  
rum devotissime frequentabat; nocturnis  
horis in frigida Hyeme stans nudo capite,  
usque ad sinem immobilis persistebat, cum  
tamen nimia jam senectute gravaretur,  
cumque turbatissimis rebus omnia passim  
quaterentur, & idololatricæ in Cænobio, æm-  
pla sacra omnia sacrilegè grassarentur, se-  
nio, laboribus & præsentibus calamitati-  
bus pressus, plenus dierum & meritum  
ipsa die & hora qua Christus in Cruce mo-  
ri dignatus est, Spiritum DEO felicissimè  
reddidit anno 1568. ætatis suæ 80. eodem  
etiam die & eadem penè hora, qua ante  
14. annos Villarium ingressus, Abbatia-  
lem aggressus est dignitatem. Ita Vill.  
mon.*

Moriuntur eodem anno duo item  
alij nostri Ordinis Præsules, inter re-  
ligiosissimos & doctissimos inferioris  
Germaniæ habitus, Antonius Houæus,  
Epternacensis Cænobij, & Joannes Au-  
gustinus, cognomento Marhuus Lacen-  
sis Abbates uterque relictis ingenij e-  
gregijs monumentis celebres, uterque  
insigni laudatus studio promotæ Re-  
formationis.

IESU CHRISTI ANNU S. M. D. LXIX.  
Sancti Patris Benedicti. M. LXXXVIII.

Germania, Gallia, Anglia, plena  
Confessorum Christi & Marty-  
rum, & loca eo usque intacta, furori  
nunc Hæreticorum, opulentissima &  
pulcherrima nostri Ordinis Cænobio,  
tanquam Cerbero offa objecta, nequid  
in profanos auderent, sacra omnia in  
prædam data, horrente ad tot sacrile-  
gia cælo, ingemiscensibus pijs omni-  
bus, & ignotum quo panico metu, mag-  
ni etiam Principes suis diffusis viribus,  
omnia impunè agi sunt passi, cum eti-  
am Maximilianus II. Imp. Austriacis  
Pro-

Consolatio  
Rom, Pont.

Contemp-  
tus opum  
& hono-  
rum.

Scribit  
contra Hæ-  
reticos.

Abbas Vil-  
lariensis  
moriuntur.

Antonius  
Abbas  
Epternac.

Germania  
turbatio.



*Nostri generosi.* Provincijs, Libertatem conscientie, tanquam suam naturam cuius propriam, proclamari curaret, & amicitiam, nunquam duraturam, animos acatholicorum sibi devincere satageret, inde magna passim damna, & Hæretici ipsa licentia efferati, nihil non audent in sacros viros; his admirabili patientia laureas merentibus, & in hac revera animas possidentibus.

*V. Ludovici & Estrada fama.* Ingens fama sanctitatis Ludovici nostri de Estrada Hortensis Abbatis, summos Principes atque Magnates facile ipsi copulavit, ut familiaritatem ejus certatim exambirent, sæpius ipsum convenirent, benedictionem efflagitarent, eaque meritis & felicissimos se esse crederent, ac si per negotia ipsi occurrere prohiberentur, per litteras de gravissimis ipsum negotijs consulerent, & ipsi quidem tanti momenti, ut ab ipsius Voluntate totius Regni Castellani status pendere videretur. Extare, ait Henriquez, in Hortensis Canobij Bibliotheca librum

*Epistolæ merita.* integrum Epistolarum, quibus ferè omnibus, vel ad Principes ac Nobiles datis, modum regendæ familiæ præscribebat; vel ad Respublicas, ab ipsius de rebus gravissimis interpellatus, sententiam suam aperiebat, optima consilia dictabat. Inter alios Principes, qui ejus familiaritate & colloquio plurimum afficiebantur, fuit etiam Joannes ab Austria, celebratissimus ille belli Imperator, qui Canobium Hortense sæpius adijt, ea unica de causa, ut Ludovicum intueretur, cujus alloquij jucunditate tantopere afficiebatur, quasi cum Angelo DEI conferret. Nam cum illo de maximi ponderis negotijs agebat, eumque consulebat, nihil ferè prorsus momenti alicujus ipso inconsulto suscipiens, sed sincero cum animi affectu, res suas, suaque proposita, imò se ipsum Viro DEI confidentissimè credens & commendans. Neque dubium, ait vitæ Author, esse potest, quin ea de causa tantis victorijs potiretur, deque inimicis tanta Trophæa erigeret. Dum enim hic gladium, hostium cruore imbueret, ille ut alter Moyses, in cella sua angulo [ecce Monachorum labores & merita] puras ad Cælum levabat manus, Deum rogans, ut populo suo saveret, eosque, qui nomen suum excindere conabantur, confunderet. Quod invictissimum hunc

*Joannis ab Austria ad ipsum relictus.*

*Victorias impetrat.*

*Principem non latuit, ideoque non tam sibi, quam DEO, & hujus Sancti Senis precibus confisus, in bella ruebat.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXX.  
Sancti Patris Benedicti. M. XC.

**I**nnotescit primum Romæ sanctæ memoriæ Annas d' Escars noster, ex Monacho S. Benigni Divionensis, ejusdem loci Abbas, ad varias & magnas postea dignitates, pro eximijs vitæ meritis promotus; statim atque in cognitionem Pij V. verè & solide sanctissimi Pontificis venit, eidem intimè charus, & ab ipso plurimum honoratus, fuit filius unicus Illustrissimi Domini Jacobi d' Escars, & Illustrissimæ Dominae Franciscæ de Lonwic, viduæ Ill. mi Domini Admiralis Chabotij; è quibus et si ipse unicus esset, habuit tamen. uterque parens diversos prius conjuges, ex quibus Annas diversos quoque fratres & sorores, iterumque ex his nepotes & neptes magno numero plurimos habuit, omnes maximè apud Reges dignitatis & auctoritatis. Ipse nihilominus princeps gloria omnium exiit, talis à teneris unguiculis, ut inde & in toto vitæ cursu nihil prorsus in ipso reprehensibile deprehenderetur. Fuit omnium judicio in omni vita, sobrius, castus, pius, affabilis, mitis, liberalis, religiosus & sanctus, talis omnino, ut quacumque veniret, admirationi omnibus esset & venerationi. Animadvertit in juvene etiamnum Pius quintus, quæ in ipso coleret, & totus Patrum purpuratorum Senatus tanti ipsam fecit, ut summis honoribus natum & verè dignissimum judicarent, jamque tunc ipsi Cardinalitius Galeras minimè vano omine prædiceretur. De hoc tanto viro deinceps plura.

Iterum novum ex Ordine sydis gloriosissimo Martyrum Christi choro in Cœlis hoc anno jungitur, Beatus Nicolaus Macgerald, sacrae Reformationis nostræ Cisterciensis in Hibernia Monachus, qui magni Athanasij exemplo persecutione fugiens, cum in nemoribus sese abderet, neque dignum tanta gloria judicaret, ab ipso Numine ad singulare certamen in oculis amplissimæ urbis electus, & à persecutoribus interceptus, cum constans in Romana fidei professione persisteret, crudeli

*V. Annas d' Escars Abb. S. Benigni.*

*Francisca de Lonwic.*

*B. Nicolaus Macgerald Martyr.*